



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Ioan. Silicæus Arch. Toletan. n. 10

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Societatis
in Mogun-
tiam in-
gressum
contra op-
positores
propugnat
Archiepif.

Vos non fertis ut quisquam præscribat vobis, ne quos libitum vobis est, ditione vestra recipiatis. Quæ igitur ratio est, præscribere ut vos velitis mihi, ne ditione mea, quos animo meo placet, excipiam. Deinde, vos fertis me, qui tamen agnosco, nec inficior, multis modis meo muneri me deesse; & hos igitur ferte, quos recte suo munere functuros speramus. Postremo quid iniquius est, quam sparsis incerto auctore voculis infestis aurem præbere, cum tam multa læta, ac fausta auditoribus certis audiantur? Aliquid, si potestis, firmum, ac verum proferte, tum viderimus, quid facto sit opus. *Hac Moguntinus Antistes Ibidem lib. 5. num. 177. Et diuina benignitate fauente, & præter omnium opinionem, summa etiam Canoniorum Voluntate tandem exceptum Collegium est.*

Eius laus,
& aestima-
tio.

9. AB HIERON. LOAYSA ex sacro Prædicatorum Ordine, doctrina, virtuteque nobili, primo Peruuia iam tum ante Societatem natam Archiepiscopo. Qui cum eam recentem, ut prorsus incognitam, Peruuia aditu arcuisset; iam palam se errore deceptum profitens, Vehementer (aiebat) formidare, ne pœnas Deo, ob eam iniectam moram persolueret. Quæ præterea de ipsamet Societate, deque utilitate per eam publicè allata deprædicaret, quia supra modesti scriptoris materiam sunt, nihil est quod scribantur. Ita *sachin. Ibid. lib. 4. num. 340.*

Morientis
Silicæi de
Societate
iudicium.

10. A IOANNE SILICÆO Archiepiscopo Toletano, qui licet Societati dum viueret insensissimus, tamen fama erat, eum cum animam ageret, quo tempore incorrupta solent esse iudicia, aperte professum, Se ad eam diem falsis præoccupatum sermonibus in errore versatum, sique vita maneret longe aliter posthac Societatem habiturum. Ita *Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 139.*

Mutat suo-
rum exem-
plo Ciuita-
tium mores.

11. A PETRO DE CASTRO Archiep. Granatensi qui non sine magna Societatis commendatione aliquando affirmavit, Ciuitatis faciem præclaro Sodalium nostrorum exemplo mirum in modum mutatam, prauasque consuetudines in præclara iam pietatis abiisse opera. Ita in *Annal. Soc. ann. 1603 fol. 177.*

12. A BRA-